

igitur sollicitus in omni justitia, bonitate, et veritate, ut et te, et alios, et Dei Ecclesiam illumines. Secunda virtus est singularis modestia, praesertim in Ecclesia.

994. Q. VI. Quo ritu conferatur hic ordo? R. Vocatus ordinandus ab Archidiacono respondet, *Adsum*, et mox accedit, et facta profunda reverentia excipit flectens adhortationem Episcopi: *Suscepturus, fili charissime, officium Acolythi etc.* 2. Post adhortationem tradit ordinans candelabrum cum candela extincta, quod ordinandus tangit manu dextera, donec prolata sit forma: *Accipe cerofarium etc.* Tum ordinans tradit urceolum vacuum, quem similiter dextera tangit neo-Acolythus, dum ordinans dicit: *Accipe urceolum etc.* 3. Postea stans Episcopus mitra conversus ad genuflexum dicit: *Deum Patrem omnipotentem etc.* 4. Facta benedictione Episcopus sine mitra se vertens ad altare dicit: *Oremus: et Ministri: Flectamus genua. Levate.* Mox ordinans conversus ad Acolythum adhuc genuflexum dicit: *Domine sancte, Pater omnipotens etc. . . . Per eundem Christum D. N. Amen. Oremus. Omnipotens sempiternus Deus . . . Per eundem C. D. N. Amen.* 5. Denique Episcopus accepta mitra sedet, et ad minores ordines ordinatum sic alloquitur: *Fili dilectissime, diligenter considera ordines per te susceptos; stude sancte et religiose vivere, atque omnipotenti Deo placere, ut gratiam suam possis acquirere, quam ipse tibi per suam misericordiam concedere dignetur. Dic semel septem psalmos poenitentiales cum litanis, versiculis et orationibus, et omnipotentem Deum etiam pro me ora.*

995. De subjecto minorum ordinum eadem observa, quae dicta sunt n. 954. de prima tonsura: item quae ibidem dicta sunt, quid requiratur ad hoc, ut valide et licite recipiantur. Quibus adde statutum *Trid.* sess. 23. c. 5. de reform. ut *ad minores promovendi bonum a paroco, et a magistro scholae, in qua educantur, testimonium habeant.* Ibid. c. 11. *Trid.* exigit, ut saltem latinam linguam intelligant.

996. An minores ordines sint verum Sacramentum, utrinque disceptatur in Theol. Schol. Probabilius id negant *Vasq., Durand., Cajet., Medina;* quorum ratio est, quod hi potius debeant dici ritus quidam sacri ab Ecclesia instituti, tanquam praeviae dispositiones ad ordines majores: nec eorum institutionis vestigium ullum habetur in Scriptura: nec gratiae iis annexae promissio ostendi potest, nec certa definitio Ecclesiae: ergo. Contrarium sentiunt alii cum *Bellarmino.* Quare cum res haec incerta sit, diutius huic speculationi immorari non placet. Ita *Laym.*

§. VII. De Subdiaconatu.

997. Q. I. Quid sit Subdiaconatus? R. Est ordo major et sacer, in quo per traditionem calicis vacui cum patena vacua, et libri Epistolarum sub certis verborum formis a legitimo ministro prolatis datur potestas mediante Diacono assistendi Presbytero in sacrificio missae, et solemniter cantandi epistolam.

998. Q. II. Quanam est materia et forma Subdiaconatus? R. Materia remota primaria est calix vacuus cum patena vacua; proxima ejusdem traditio. Ita expresse docet C. Florent. in Decreto *Eugenii*, ubi §. 15. de Sacram. Ord. sic habet: *Subdiaconatus vero traditur per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem.* Forma huic materiae correspondens est: *Vide, cujus ministerium tibi traditur. Ideo te admonere, ut ita te exhibeas, ut Deo placere possis.* Materia remota secundaria est liber Epistolarum: proxima ejusdem traditio; forma vero sunt sequentia verba: *Accipe librum Epistolarum, et habe potestatem legendi in Ecclesia sancta Dei tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Patris, et Filii, et S. S. Amen.*

Dixi, materia secundaria: quia (ut testatur *Emin. Cardin. de Lauraea* d. 6. de Sac. Ord. n. 54. et *Morinus* de sacris Ordin. p. 3. exercit. 12. c. 1. n. 6. et 7.) antiquissima Ritualia ab anno 500. usque ad annum 1200. non faciunt mentionem traditionis libri epistolarum. *Confirm.* ex Conc. Carthag. IV. de anno 398. ubi definitum est, sicut refertur in cap. *Subdiaconus* 16. dist. 23.: *Subdiaconus, cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu episcopi accipiat vacuam, et calicem vacuum.* Nulla hic fit mentio traditionis libri epistolarum. Valeret tamen ordinatio, si Episcopus per errorem traderet calicem cum vino, quia utile per inutile non vitiatur, neque per hoc falsificaretur forma.

999. Q. III. Quodnam sit officium Subdiaconi? R. Juxta Pontificale Rom. Subdiaconum oportet 1. aquam ad ministerium altaris praeparare; hic mentio fit solius aquae, quia Subdiaconi est, affundere vino paululum aquae ante oblationem, dicendo: *Benedicite, pater reverende.* 2. Diacono ministrare. 3. Pallas altaris et corporalia abluere. 4. Calicem et patenam in usum sacrificii Diacono offerre. 5. Item solemniter, h. e. cum manipulo et ex officio in missa cantare Epistolam. Adde ex aliis Ritualibus, 6. panem consecrandum pro populo in altari ponere. 7. Crucem in supplicationibus gestare. Jure antiquo Subdiaconi debebant stare ad januas, per quas ingrediebantur mulieres, ne quis egrederetur, neve aperiretur janua tempore oblationis. Ut constat ex Constit. Apost. L. 8. c. 11. ibid. statutum legitur: *Unus autem Hypodiaconus ministret aquam Sacerdoti ad lavandum manus.* Praeterea juxta Epist. 1. *S. Fabiani* Papae olim Subdiaconis demandatum fuit, gesta martyrum colligere, et in scriptis consignare.

1000. Q. IV. An ordo Subdiaconatus sit sacramentum? R. Certo ac clare id non habetur ex Scriptura, nec ex Conciliis, nec ex PP., ideoque inter Theologos affirmativa et negativa defenditur ut probabilis. Rationes in utramque partem erudite colligit *Bened. XIV.* L. 7. de Synodo Dioec. c. 24. in fine subjungit: *Ideo autem rationes attigimus, quae in utramque partem adducuntur, et paulo prolixius illas expolvimus, quae postremae (scil. neganti Subdiaconatum esse Sacramentum) favent opinioni, ut videantur Episcopi, non posse indubitanter sacrilegii damnari, qui conscientia peccati lethalis ordines Diaconatu inferiores suscipere non formidant.* Nimirum si conferatur Subdiaconatus extra missam, dum non percipit ordinandus Eucharistiam.

1001. Q. V. Quid requiratur, ut quis valide ordinetur ad Subdiaconatum? R. 1. Ex parte subjecti requiratur, ut sit mas. 2. Baptizatus. 3. Habeat intentionem suscipiendi hunc ordinem. Ex parte vero ordinis requiratur, ut conferatur sub debita materia et forma, et a legitimo ministro.

1002. Q. VI. Quid requiratur ad hoc, ut quis licite ordinetur in Subdiaconum? R. 1. Ut sit Confirmatus. 2. Non sit irretitus censura ecclesiastica, nec sit irregularis. 3. Ut receperit primam tonsuram, et quatuor minores ordines. 4. Ut habeat legitimam aetatem, scil. vigesimum secundum aetatis annum saltem inchoatum, juxta *Trid.* sess. 23. c. 12. reform. . . . 5. Ut habeat titulum legitimum sustentationis. 6. Ut non sit conjugatus ex c. fin. de temp. Ordin. in 6. ubi prohibetur, ne vel prima tonsura conferatur conjugato. 7. Ut habeat sufficientem scientiam. Alii insuper 8. exigunt sanctitatem vitae, 9. Congruum tempus ordinationis, et 10. Vocationem divinam. Quae pro memoria continentur in vers. seq. *Confirm. Immunis, sit et Ordo, scientia et aetas: caelebs et sanctus, titulus, tempusque, vocatus.*

1003. Q. VII. Cur praerequiratur Confirmatio? R. Quia Ecclesia vult habere ministros in fide roboratos; hinc *Trid.* sess. 23. c. 4. de reform. ait, prima tonsura nequidem initiandos, qui non sunt Confirmati.

1004. Q. VIII. Quid sit titulus; cur requiratur titulus; et quotuplex sit? R. Ad 1. et 2. Titulus est remedium, quo providetur ordinando de sufficiente et perpetua sustentatione: ideo requiritur titulus, quia indecens est, Clericum in sacris ordinibus constitutum mendicare, aut ex sordido quaestu vivere. Hinc statuit *Trid.* sess. 21. c. 2. de reform. ne quis ordinetur sine sufficienti titulo congruae sustentationis. R. Ad 3. Titulus est duplex, ecclesiasticus et patrimonialis. *Ecclesiasticus* subdividitur in beneficiale, paupertatis, et titulum mensae. *Beneficialis*, sive *titulus beneficii* est jus fruendi bonis Ecclesiae. *Titulus mensae* est remedium, quo alicui providetur de congrua et perpetua sustentatione a Magno Principe. *Patrimonialis* est, quando ordinandus actu habet bona propria et immobilia ad sustentationem sufficientia. Hic titulus modo coepit anno 1179. in Conc. Later. III. sub Alex. III., antea enim saltem usque ad saeculum X. ordinati sunt in ministerium Ecclesiae, et eo titulo alimenta ab ea acceperunt.

1005. Q. IX. Qualis esse debeat titulus beneficii? R. Requiritur, ut ordinandus pacifice possideat beneficium perpetuum, certos habens redditus ad honestam sustentationem sufficientes iudicio prudentum, et habita ratione loci. Probatur ex *Trid.* quod. sess. 21. c. 2. de reform. statuit, ne quis deinceps Clericus saecularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia, et aetate, ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere.

1006. Q. X. Qualis debeat esse titulus patrimonii vel pensionis? R. debet esse sufficiens ad congruam sustentationem. De hoc *Trid.* sess. 21. c. 2. de reform. ita statuit: *Patrimonium vero vel pensionem possidentes ordinari non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum, eo quoque prius perspecto, patrimonium illud, vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse, quae eis ad vitam sustentandam satis sint, atque deinceps sine Episcopi licentia alienari, aut extinguere, vel remitti nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint.*

1007. Q. XI. Quinam ordinentur titulo paupertatis? R. Illi, qui post Novitiatum votum paupertatis religiosae in aliqua Religione approbata valide, et juxta statuta sui Ordinis emiserunt.

1008. Q. XII. Penes quem sit determinare, quaenam quantitas proventuum ex beneficio, vel patrimonio sufficiat ad alimoniam Clerici? Respondet *Bened. XIV.* L. 7. de Syn. c. 72. n. 7. *Absque periculo obviandi juri communi et sacro Conc. Trid. tuto poterit Episcopus in sua synodo non solum praesumere quantitatem proventuum, qui censeantur sufficientes ad alimoniam subministrandam Clerico suam incolenti dioecesim, sed etiam statuere et determinare, num inter ejusmodi proventus sit numeranda, an potius detrahenda stips, respondens numero missarum, ad quas celebrandas Clericus sive per se, sive per alium adigitur, lege sibi indicta a fundatore beneficii, quod possidet.*

1009. Q. XIII. An ordinatio facta cum ficto titulo non solum illicita, sed etiam invalida sit? R. Valida quidem est, cum omnia essentialia supponantur adesse, sed illicita, et graviter peccaminosa, quia violatur grave praeceptum Tridentini, et Ecclesia in re gravi decipitur. *Si dicas*: Juxta cap. *Sanctorum Canonum*, dist. 70. sine titulo facta ordinatio irrita habeatur. R. Irrita habeatur quoad exercitium ordinis suscepti. Irrita quoad valorem. N. Deinde haec statuta mitigavit *Innoc. III.* ut patet ex c. *cum secundum Apostolum*. L. 3. *Decret. de praebendis*. Item ex c. *si Episcopus*, de praebendis in 6. An vero is incurrat suspensionem, qui absque titulo, vel cum

ficto titulo sacros ordines suscipit, utrinque defenditur. Affirmant complures cum *Suar.*, *Vasq.*, *Palao*, *Bonac.*, *Aversa*, eoquod poena illa fuerit olim per canones imposita, *Trid.* autem antiquorum canonum poenas super his innovaverit, ac proinde manet poena suspensionis super hoc casu. *Negativam* tenent *Tambur.*, *Tolet.*, *Gobat* et alii, eo quod jam ante *Trid.* haec poena videatur sublata ab *Innoc. III.* Vide *Leonardelli* de tit. mensae n. 138.

1010. Q. XIV. Qualis scientia requiratur in eo, qui vult ordinari Subdiaconus? R. 1. Debet scire requisita ad hunc ordinem, ejusque materiam et formam. 2. Obligationes huic ordini annexas, de quibus infra n. 1017. Unde et scire eum oportet media servandi castitatem, et modum recitandi brevium. 3. Requiritur studium et capacitas ea addiscendi, quae ad altiores ordines requiruntur. Hinc *Trid.* sess. 23. c. 11. de reform. statuit, ut nemo iis initiatur, quem non scientiae spes majoribus ordinibus dignum ostendat. *Ibid.* c. 13. ita statuit: *Subdiaconi et Diaconi ordinentur, ut habentes bonum testimonium, et in minoribus ordinibus jam probati, ac litteris, et iis quae ad ordinem exercendum pertinent, instructi; qui sperent, Deo auctore, se continere posse: Ecclesiis, quibus adscribentur, inserviant, scientque maxime decere, si saltem diebus dominicis et solemnibus, cum altari ministraverint, sacram Communionem perceperint.*

1011. Q. XV. Quid sit vocatio divina? R. Est actus providentiae divinae, quo Deus hos prae aliis eligit, et praeparat dotibus congruis ad sacra ministeria digne obeunda. Vocationem prius oportet bene examinare; teste enim Apostolo ad *Hebr.* 5. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Quid, quod ab hac vocatione dependeat tota series gratiarum?

1012. Q. XVI. Unde quis cognoscere possit, se vocatum esse a Deo? R. 1. Alia sunt indicia, ex quibus certo colligitur, quosdam non esse vocatos; v. g. notabiles defectus corporis, unde quis ineptus est ad ecclesiastica munia rite obeunda: item congeniti defectus animi, v. g. animus nimis ferox, agrestis indoles, ingenium obtusum etc. Alia sunt indicia dubia, v. g. defectus animi morales, et voluntarii, pravae consuetudines, et habitus vitiosi, qui quidem tolli possunt, sed animum nimis depravant. R. 2. Indicia, ex quibus sufficienter colligi potest, aliquem esse vocatum a Deo, sunt 1. Competentes naturae dotes. 2. Spiritus ecclesiasticus, sive studium procurandae Dei gloriae et salutis proximi, et propensio ad ecclesiasticam disciplinam, unde etiam oritur propensio erga sacras caeremonias, et sacras Scripturas. 3. Immunitas a defectibus supra recensitis. 4. Pura intentio. 5. Profectus in eradicandis vitiorum habitibus, et acquirendis virtutibus. 6. Donum continentiae. In probatione spiritus, an ex Deo sit, necesse est frequenter in precibus petere a Deo illustrationem intellectus, et hoc negotium mature tractare cum viro pio ac docto praesertim cum Confessario.

1013. Q. XVII. Quaenam requiratur sanctitas in ordinando Subdiacono? R. Ut vel a baptismo innocenter vixerit, vel peccati maculas a notabili tempore per poenitentiam eluerit, ut solutus a vitiosis habitibus, et in virtutibus, praesertim in castitate radicans extra morale relabendi periculum constitutus censeatur. Ideoque Neophyti olim non ordinabantur.

1014. Q. XVIII. Quid circa interstitia notandum? R. Nomine interstitii intelligitur tempus intermedium inter praecedentem, et sequentem ordinationem. De hoc *Trid.* sess. 23. c. 13. de reform. ita statuit: *Promoti ad sacrum Subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiore gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur. Duo sacri ordines non eodem die, etiam regularibus, conferantur, privilegiis ac indultis quibusvis concessis non obstantibus quibus-*

cumque. Ibid. c. 11. statuit: *Hi vero non nisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoveantur, nisi necessitas aut Ecclesiae utilitas iudicio Episcopi aliud exposcat.* Haec interstitia ab Ecclesia merito instituta sunt, tum ut inferiores Clerici ad eum virtutis et scientiae gradum eo melius se praepararent, quo major perfectio virtutis et scientiae inesse debet initiando Sacerdoti, tum ut ipso usu et experientia edoceri possint, quantum sit ecclesiasticae pondus disciplinae. Adde ex *Trid.* mox cit. ut interea in unoquoque munere juxta praescriptum se exercent, idque in ea, cui adscripti erunt, Ecclesia, nisi forte ex causa studiorum absint. Poenam pro iis, qui non servant interstitia, *Clemens VIII.* per constitutionem: *Summum Pontificem*, Episcopo decernendam reliquit, sicque Bullam *Sixti V.* quae incipit: *Sanctum et salutare*, ad terminos Conc. *Trid.* revocavit, ut probat *Habert* c. 10. de Ord. §. 3. q. 6.

1015. Q. XIX. Quenam sint tempora ordinationum? R. Sunt dies Sabbatini quatuor temporum scil. *post Crux. post Cineres, post Spiritus, atque Luciae.* Item Sabbatum Passionis, et Sabbatum Sanctum. Circa tempora ordinationum non tantum summus Pontifex, sed etiam illi Episcopi possunt ex justa causa dispensare, quibus concessum est a summo Pontifice. Ita *Gregor. XIII.* anno 1582. 22. Septembr. per Bullam: *Pium et utile Societatis Jesu Institutum*, omnibus Episcopis concessit facultatem, ut alumnos Societatis Jesu idoneos et comprobatos a Societate, et qui licentiam a Praeposito Generali dictae Societatis pro tempore existente, vel ab eo Delegatis habuerint, *absque ulla functione in ordinibus ipsis, interstitiorumque ad illos suscipiendos observatione, aut inquisitione de cantu, officiis, et caeremoniis Ecclesiasticis, idoneitate, proprii Ordinarii licentia, et aliis in aliis requisitis, ad minores, ac etiam extra tempora a jure statuta, tribusque Dominicis, vel aliis festis diebus, etiam continuis, ad sacros, etiam presbyteratus, ordines promoveant.*

1016. Q. XX. Quid sit ordinari per saltum? R. Est suscipere ordinem superiorem, praetermisso inferiore.

1017. Q. XXI. Quenam obligationes sint annexae Subdiaconatui, et reliquis ordinibus majoribus? R. Tres, scil. 1. obligatio servandi castitatem; 2. recitandi Breviarium; 3. deferendi habitum et tonsuram.

De prima obligatione annexa ordinibus sacris.

1018. Q. I. Qualis sit obligatio servandi castitatem? R. Est gravis ob grave praeceptum Ecclesiae. Huic obligationi tria insunt: 1. Ordinatus non tantum tenetur abstinere *jure divino* ab actibus venereis illicitis, qui etiam laicis extra matrimonium vetantur, adeo ut si eorum aliquo se coinquinet, praeter speciem illius actus inhonesti, etiam malitiam sacrilegii teneatur in confessione exprimere; sed et 2. sacris ordinibus initiatus *jure ecclesiastico* tenetur abstinere ab actibus venereis licitis in matrimonio, quod forte ante ordinationem contraxit; et 3. abstinere a contrahendo matrimonio, quod ei non tantum est illicitum, sed irritum et nullum.

1019. Q. II. Unde probetur, in sacris et majoribus ordinibus constitutos *jure ecclesiastico*, non *divino* obligari ad castitatem? R. Sunt, qui teste *P. Azor* tom. 1. l. 13. c. 12. q. 1. cum *Waldensi, Turriano* et aliis probabiliter defendunt, hanc obligationem procedere a *jure divino*. Communior tamen Theologorum et canonistarum sententia tenet, eam tantum provenire a *jure ecclesiastico*. *Primo*, quia nullus reperitur locus Scripturae, in quo constitutis in sacris et majoribus ordinibus matrimonium prohibeatur, nec aliquis Concilii Canon, aut Decretum Pontificis cujusdam, quo declaretur, dictam obligationem esse de *jure divino*. *Secundo*,

quia si haec obligatio esset de *jure divino*, Papa non posset circa illam dispensare, cum tamen saepius dispensatum sit, ut probat *Eminen. Cardinalis de Lauraea* d. 9. de Sacram. Ord. num. 204.... *Tertio, Trid.* sess. 24. can. 9. expresse habet, prohibitionem matrimonii in ministris sacris esse ex lege ecclesiastica; ibidem enim ita definit: *Si quis dixerit, Clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto, et oppositum nihil aliud esse, quam damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt, se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum, anathema sit etc.*

1020. De disciplina ecclesiastica circa continentiam *Tournely* in praelect. Theol. de septem Sacram. t. 2. q. ult. de Ord. tradit sequentia:

1. In Ecclesia Graeca nunquam licitum fuit Episcopis, Presbyteris, Diaconis, et Subdiaconis uxorem ducere post ordinationem, ut constat ex can. 6. Synodi *Quinisextae* seu *Trullanae* ab anno 692., qui ita habet: *Quoniam in Apostolicis Canonibus dictum est, eorum, qui non ducta uxore in Clerum promoventur, solos Lectores et Cantores posse uxorem ducere, et nos haec servantes decernimus, ut deinceps nulli penitus Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero post sui ordinationem contrahere liceat. Si autem hoc ausus fuerit facere, deponatur.*

2. Nunquam licuit Episcopis in Ecclesia Graeca, nec etiam nunc licet uti conjugio, quod ante ordinationem contraxerunt, ut constat ex can. 21. ejusdem Synodi. Praeterea constat, Ecclesias Graecas, et alias Orientales his temporibus nullum ordinare Episcopum, nisi aut virgo sit, aut viduus, aut si uxoratus, continentiam polliceatur.

3. Lege per idem Conc. *Quinisextum* confirmata, licitum est Graecis Presbyteris, Diaconis et Subdiaconis retinere uxores legitime ante ordinationem ductas, et uti conjugio.

In Ecclesia Latina nunquam licuit Episcopis, Presbyteris et Diaconis uxorem ducere, aut uti conjugio ante ordinationem contracto, ut constat ex can. 33. Concilii *Eliberit.* IV. de anno 305., item ex can. 1. Conc. *Carthag.* II. de anno 397. ubi ita statuitur: *Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri et Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiae custodes etiam ab uxoribus abstineant, ut quod Apostoli docuerunt, et observavit antiquitas, nos quoque custodiamus.*

De coelibatu Subdiaconatui annexo idem *Tournely* l. c. tradit sequentia. *Primo*, Conc. *Eliberit.* mox cit. praecepisse, Subdiaconos manere coelibes. Idem ab aliis conciliis particularibus statutum fuisse, probat *Clericatus* de Sacram. Ord. decis. 27.... *Secundo* ait, saeculo V. sanctum Leonem M. primum e summis Pontificibus Subdiaconis legem continentiae imposuisse: saeculo VI. sanctum Gregorium Papam legem, qua praedecessor ejus Pelagius II. Subdiaconos Sicil. ab uxoribus separaverat, sic temperasse, ut nullus deinceps ad Subdiaconatum promoveretur, nisi perpetuam continentiam professus, indulsisse tamen ut, qui matrimonium jam contraxerant, eo uterentur. *Tertio* addit, saeculo demum XI. legem continentiae coepisse universaliter obligare Subdiaconos post Decretum *Urbani II.* in Concilio *Claromontano*, nihilominus post varia statuta ab *Alex. III.* Denique anno 1294. *Bonifacius VIII.* clarissime declaravit, ordinem sacrum habere sibi annexum votum castitatis, non solum impediens matrimonium contrahendum, sed etiam dirimens contractum. Vide cap. 1. de voto, et voti redempt. in 6.

1021. Q. III. An haec obligatio castitatis oriatur ex voto, quod faciunt,

qui sacros ordines suscipiunt, sive ex praecepto Ecclesiae? R. Tres sunt sententiae circa hanc quaestionem. *Prima* tenet cum *St. Thom.* 2. 2. q. 88. art. 7., *Card. de Lauraea, Sanchez* L. 7. de matrim. d. 27. et aliis, hanc obligationem oriri ex voto. *Secunda* tenet cum *Valentia* d. 9. q. 5. pun. 5., *Aversa* et aliis, ministros sacros obligari ad castitatem ex solo praecepto ecclesiastico. *Tertia*, et verior sententia tenet cum *Hurtado, Perez* et aliis apud *P. Gobat* tr. 8. n. 755., quod haec obligatio oriatur immediate ex voto, mediate vero ex praecepto ecclesiastico. Probatur *primum* ex c. 1. dist. 31., ubi *S. Gregorius M.* ait: *A praesenti die Episcopis omnibus dicatur, ut nullum Diaconum facere praesumant, nisi qui se victurum caste promiserit*: atqui promissio facit votum; ergo. *Confirm.* ex cap. unico de voto in 6., ubi *Bonif. VIII.* declarat, *Oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem etc.* *Secundum* de praecepto constat ex pluribus Canonibus, praecipue ex can. 1. et seq. dist. 31. item ex c. *Si quis eorum.* dist. 32., et ibid. c. *Omnium Sacerdotum.* Leo Papa expresse ait: *Nec Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur.*

1022. *Nec dicas primo*, quod nemo ordinandorum explicite hoc votum faciat; quia, etsi ordinandus verbis id non faciat, illud tamen facit facto, scilicet suscipiendo ordinem, sicut praecipit Ecclesia; atqui Ecclesia praecipit, ut ordinandus promittat, se caste victurum: ergo. Vel si aliter rem explicare velis, dic, eatenus Subdiaconum obligari ex voto, quatenus vi praecepti ecclesiastici aequè obligatur ad castitatem, ac is, qui eam libere vovit, ideoque obligatio ex praecepto aequivalet obligationi ex voto; hinc Subdiaconus aequè committit sacrilegium peccando contra castitatem, ac is, qui obstrictus voto formali contra eam peccat.

1023. *Nec dicas secundo* cum *Wicleffo*, ut refert *Thomas Waldensis*, lex perpetuae continentiae est contraria juri naturali et divino, quod exprimitur *Genes.* 1. his verbis: *Crescite et multiplicamini*: ergo. R. *N. Antec.* S. Paulus 1. *ad Cor.* 7. v. 7. ait: *Volo enim vos omnes esse, sicut me ipsum*, hoc est, coelibes: v. enim 8. addit: *Dico autem non nuptis et viduis, bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego.* Atqui Apostolus non potuisset hoc statuere, si coelibatus esset contra jus naturale et divinum: ergo. Verba *Genesis* enunciata sunt propter genus humanum universim spectatum, quod per generationem erat propagandum, vimque habent praecepti tantum, ubi sine conjugio genus humanum deficeret; alias B. Virgo, s. Joseph, s. Joannes, et plures alii, imo et Christus Dominus adversus hoc praeceptum deliquissent.

1024. *Nec dicas tertio*: S. Paulus cit. locis nullam condit legem de coelibatu, sed consilium solummodo dat, ut patet ex v. 25. ibid.: *De virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Quin et Christus reliquit cuilibet liberum: ergo. R. Nec Ecclesia quemquam cogit ad amplectendum statum, cui annexum sit coelibatus, sed qui libere eligit hunc statum, libere se obligat ad obediendum praecepto Ecclesiae: sicut enim ideo Apostolus 1. *ad Tim.* 5. v. 12. viduas dicit habere damnationem, quae primam fidem, hoc est, promissam continentiam irritam fecerunt; ita damnationi obnoxii sunt, qui libere Subdiaconatum amplexi, perpetuam continentiam non servant; hos enim post promissionem libere factam Ecclesia cogit in proposito manere, ipsisque nuptias interdicat: scilicet sicut Dominus vult servos suos, qui libere famulatu suo se addixerunt, esse coelibes, vel sicut rex matrimonium militibus interdicat, ita Ecclesia

antecedenter neminem cogit ad suscipiendum ordinem, sed consequenter ex conditione, quod ordinem libere susceperit, obligat ad castitatem.

Denique nec obstat, quod haec lex multis sit occasio ruinae; non enim occasio est per se, sed per accidens, et quidem iis tantum, qui temere, et sine continentiae dono ac studio ad ordines obrepunt tanquam fures, vel qui media nolunt adhibere, de quibus egimus Part. I. n. 759.

Nec dicas quarto: Quilibet obligatur ad castitatem; ergo superfluum est hoc praeceptum ecclesiasticum. R. *D. Antec.* Quilibet obligatur ad castitatem secundum statum suum, vel ad virginalem, vel vidualem extra matrimonium, vel saltem ad matrimoniale, stante matrimonio; C. Quilibet determinate obligatur ad castitatem virginalem, N.

1025. Q. IV. Quid? si quis ignoraret Subdiaconatu esse annexum hoc votum? R. Si haec ignorantia esset positiva, ut si videat conjugatos passim ordinari, uti apud Graecos, probabiliter non tenetur ad castitatem: secus si ignorantia esset negativa. Hinc ait *Clericatus* hic decis. 27. n. 64. Si daretur aliquis ignorans hanc obligationem vovendi, vel qui intra se diceret, nolo vovere, nec me obligare ad castitatem, adhuc esset obligatus ad illam ex praecepto Ecclesiae, et absolvi non posset in foro conscientiae, nisi admonitus de obligatione vovendi voveret: quia eligendo Subdiaconatum tenetur profiteri castitatem.

Ibid. num. 65. addit laudatus *Clericatus*, in tribus casibus ordinatorum in sacris obligatos non esse ad castitatem. *Primus* est, si ordinatio non esset valida; votum enim castitatis est accessorium ad ordinationem. *Secundus* casus est, si ordinetur puer ante usum rationis, quae ordinatio quidem supponitur valida, quamvis illicita sit; ordinatus tamen, nisi illam ratificet in annis pubertatis, eoque non obligatur; ideoque poterit postea statum laicalem amplecti, et uxorem ducere; secus de impubere, qui est doli capax. *Disparitas* est, quia infans sive rationis usum non habens nec vult Subdiaconatum, nec obligationem; habens autem usum rationis supponitur velle suscipere ordinem; ergo et potest ac debet velle suscipere annexam obligationem. Idem affirmat *Benedictus XIV.* in instructione Copthorum tom. I. Bullar. pag. 516. *Tertius* casus est, si quis ordinetur per vim et metum gravem: in hoc casu si vim patiens expresse protestetur, se nolle ordinari, certum est, invalidam esse ordinationem, et nullam adesse obligationem castitatis; at si consentiat, et libere suscipiat ordinem, etsi praecesserit violentia, tenetur ad castitatem; contrarium alii sentiunt apud *Salmanticenses* t. 8. c. 6. a. n. 45.

De obligatione recitandi Breviarium.

1026. Q. I. Quid sit Breviarium? R. Quoad nomen est breve quoddam compendium sacrae Scripturae, sermonum et homiliarum ss. Patrum, et vitae Sanctorum: alias etiam vocatur *Horae Canonicae*, quia preces illae per sacros canones praescriptae, et ab Ecclesia ad laudandum Deum hoc ordine horarum determinatae sunt: vel, ut ait *Durandus*, quia ad certas horas regulantur. Ab aliis simpliciter dicitur *Canon*, quia sicut Vasalli Regibus, et coloni Dominis suis canonem, sic personae ecclesiasticae canonem divini obsequii quotidie Deo solvunt. Ita *Gonzalez* in Comment. ad c. *Presbyter.* In c. *Dolentes*, etiam vocatur *Officium divinum*, quia praecipuum, ac maxime proprium Clericorum munus est, precibus apud Deum nomine Ecclesiae insistere, ut ait *Laym.* L. 4. t. 1. c. 2. Denique ab Urbano VIII. vocatur *Divina psalmodia*: a. s. Hier. *Psallentia*: ab Ivone Carnotensi *Pensum*: a. s. Macario et Mabillonio *Cursus*: ab aliis *Orarium*. Ex quibus recte dices, Breviarium quoad rem esse publicas ac stas preces ex